Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 229
Quelle:
Copyright:

Obijt 1426. (non igitur post 1432. ut perperam in *Scriptt. Univ. Vien.* P. I. p. 100.) *in die Sancti Georij martiris;* Expositio est *Cantici Canticor.* quam praeit 1) *Tabula secundum ordinem alphabeti;* 2) Conspectus exactus Materiarum, quae ad singulos Versiculos tractantur, demum Dicatio: *Reuerendo patri domino poncio dei gratia clarimontensi episcopo frater thomas quantuluscumque monachus se totum in exequendis mandatis impendere. Uehementer obstupesco* &c. Non nisi aegre hortatu *Pontii* se aggredi Opus dicit *post origenis mella, gregorij pigmenta, bede odoramenta, beati* (a. 1153. mortui, a. 1165. Sanctis adscripti) *bernardi balsama* &c. Nec plura excerpo; editum enim est Opus a *Jod. Badio Ascensio Parisiis* 1521. f. qui miro consilio cum *Thoma* nostro combinavit ea, quae reliquit in *Cantica Johannes Halgrinus, Hollegrinus, Malgrinus de Abbatisvilla* Card. Ep. *Sabin.* adprobata, ut ait, tempore *Gregorii* IX. a. 1233. Autore, de quo *Ciaconius* in *Vitt. Pont. et Card.* T. II. *col.* 79. e vita digresso a. 1236. aut 37. Praecessit igitur aetate *Thomas*, qui Expositionem suam scribere debuit inter annos 1170—87. posterior enim annus *Pontii* Ep. extremus fuit. Erat is ante Episcopatum *Cisterciensis* pariter Monachus, et *Clarae Vallis* Abbas. An autem ad idem Coenobium pertinuerit Noster, quamvis id editori *Badio* visum fuerit, non liquet. *Valcellensem* in ditione *Cameracensi* credas, si *Carol. Vischium* in *Bibl. Cist.* p. 312. audias. Ast idem ead. pag. *Thomam de Persenia*, et p. 310. *Thomam* simpliciter *Cisterciensem* Expositionis nostrae Autores facit. Eandem *Job. le Paige* in *Bibl. Praemonstr.* p. 307. *Thomae Viconiensis* Ecclesiae Canonico tribuit, reprehensus ideo ab *Oudino* T. II. p. 1575. Interim his omnibus *Indicem* suum inserit *Lelongius Bibl. sacrae* T. I. p. 988. et 737. ubi Expositionem a *Badio* impressam, quam excitavi, dat *Thomae Gallo, Italo Pedemontano Cisterc.* Abbati *S. Andreae Vercellensis*, quod ex *Valcellensi*, totque errores ex inscitia aut incuria Librariorum in praefigendis Autorum nominibus ortos esse facile quivis statuet.

CLI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 73. f. per duas columnas nitide scriptus, rubricis distinctus, et a. 1540. ut πρόγραμμα frontis testatur, ab *Job. Fabro* praestante illo *Viennensium* Antistite legatus suo ad D. *Nicolaum* Collegio complectitur absque Autoris nomine: I. Commentarium in *Ecclesiasticum* praevio *Capitulorum* CXXVIIII. Indice, quem *Prologus* Libri: *Multorum nobis et magnorum* &c. absque expositione sequitur. Expositionis ipsius Prooemium incipit: *Summi regis palatium in quatuor consumatur. in fundamento legis et prophetarum, in parietibus epistolarum apostolorum, in tecto quatuor evangelistarum, in interiore ornatu agyographo-* U. 132